

CCXLVII.

Anno 1745. die 9. Decembris. Esseki.

Universitas Comitatus Veröcensis de sua et totius inferioris Slavoniae reincorporatione Generali Regni Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Congregationi gratulatur.

Excelsi Proceres,

Inclytique Domini Regnorum Dalmatiae, Croatiae & Slavoniae Status & Ordines,

Domini Domini Nobis Gratosissime Colendissimi!

Cum jam tandem Deo Auspice diu expectata Inferiori huicce Slavoniae, fateri debemus, infatigabili Excelsorum Procerum Inclytorumque Dominorum Statuum & Ordinum Cooperatione, promota acciderit Salus & pristina denique restituta sit Libertas, ita, quod ejusdem Priorj suo Corpori, Banali nempe Inclytorum Dalmatiae, Croatiae & Slavoniae Regnorum Jurisdictioni reapplicatio, de Gratia & Clementia Regia desideratum feliciter sortita sit effectum, sicut nos octava delabentis instaurati Comitatus de Veröcze Universitas parte nostra Excelsis Proceribus Inclytisque Dominis Statibus & Ordibus super recuperata deperdita hactenus filia sua, ita Nobis de reobventa dulcissima Matre Superiori Slavonia omni possibili jubilo & applausu hisce gratulamur, & porro etiam pro exantlatis in Patriam hancce Excelsorum Procerum Inclytorumque Dominorum Statuum beneficijs, deprompta isthic coram Illustrissimo & Spectabilibus Dominis Eorundem Commissarijs praeconia & gratiarum Actiones, praesentibus obsequenter repetimus, nosque in Maternum suscipi precamur sinum; DEUM caeteroquin Omnipotentem ardentibus orantes votis, ut id, quod benignitate sua conjunxit, usque ad Mundi persistentiam nullis unquam temporibus amplius separari patiatur; verum sicut Virtus unita fortior est, & concordia res parvae crescunt, ita pro majori sui Gloria, Alti item Regij Servitij & Publici Emolumento utriusque praemissi Clementer impertiatur Nobis Incrementum; Nos interea omnia Nostra ita dirigere satagemus Acta, ut in quibusvis quoad debiles Vires & Capacitas Nostra indulserit, benignis Regijs Mandatis, Juribus item, Praerogativis & avitis Consuetudinibus satisfiat.

Quamvis porro pro accepto uno, ne dum satis gratos, pro alio implorando Beneficio Nos modestia quasi cohibere deberet, quin nihilominus Majorum erga suos semper largam esse scimus Munificentiam, non veremur in Limine statim, subversante praecipue in mora Periculo, Excelsorum Procerum Inclytorumque Dominorum Statuum intuitu avertendae ad Legionem Trenkianam Militis praestationis rogare auxilium; cum autem in hoc eodem, quod Nos premit, merito, Excellentissimi quoque Domini Comitatus Bani invocaremus Patrocinium, sicut Litteras